

generis scrutatoribus, qui sectionibus nimis sæpe artificialibus, spicarum numero exstructis, quasi limites præscripserunt naturæ, permultas esse species, quæ his limitibus contineri nequeunt.

Caricis canescentis variæ formæ sed magis notabiles sequentes sunt:

1:mo *submuricata*, spiculis subsenis contiguis, superioribus in spicam elongatam confluentibus; foliis latiusculis, planis, culmo longioribus; infima spicula bracteata, bractea setacea spiculam supremam æquante. Hab. locis subhumidis umbrosisve. Specimina legi ad Hofberget Jemtlandiæ 1819.

2:do *subelongata*, culmo pedali foliis brevioribus; spiculis elongatis, oblongis, basi angustatis; capsulis ovatis, acutis squamis æquantibus, bractea nulla. Hab. juxta margines paludum, Lapponiæ et Vestrobothniæ frequenter. Carici elongati subsimilis.

3:tio *subliacea*, spiculis quaternis, globosis, inferioribus haud contiguis; capsulis ovalibus, obtusiusculis, apiculatis; ore subintegro. Hab. in paludibus aquosis Lapponiæ passim.